

PRIMA PARS DE INTERCA. LOCO. IN

Si addatur vel à maiori alterius loci detrahatur, quodq; prouenerit serueturq; latitudinem mediam notabit inter eadem duo loca. Hanc latitudinem mediam quære in tabula proportionum parallelorum, præscripta in primo ordine numerorum ad manum sinistram sub titulo gradus parallelorum, qua reperta, quære differentiam graduum longitudinum in fronte eiusdem tabulæ, Vbicunq; enim hij duo numeri differentiales, tam longituum quàm latitudinum in modum gnomonis angulum comunem causauerint, ibi gradus & minuta æquinoctialis offendes correspondentes gradibus longitudinum extra æquatorem, quos duc in se quadrate, aggregando demum numeros in simul, quærendo totius aggregati radicem quadratam, quam multiplica aut in miliaria Italica, aut Germanica communia, aut Ptolemaica &c, & productum distantiam in miliaribus ostendit. Exemplo hauries: Sit Damascus Syriæ, quæ habet gradus longitudinis, 69 mi. 0, Latitudinis autem gradus 33. mi. 10. Babylon capitalis Babiloniæ, quæ habet gradus longitudinis 79. mi. 0. Latitudinis uero gra. 35. mi. 0. Differentia longitudinum est 10. grad. latitudinum uero differentia est graduum 2. Medietas differentiæ latitudinum est gradus 1, quæ addatur minori latitudine scilicet 33 gradibus, & proueniunt 34 grad. Vel detrahe à maiori latitudine, uidelicet 35. gradibus, & uenient 34. gradus. Hæc enim uocatur latitudo media, hanc quære in ordine graduum latitudinum, sub titulo gradus parallelorum, ad sinistram tabulæ, & differentiam graduum longitudinum scilicet 10 in fronte tabulæ, è quorum directo reperio in angulo communi gradus 8, mi. 17, secunda 25, & uocatur numerus conuersus uel reductus. Hunc multiplico in se quadrate, & colligo gradus 64, mi. 289 secunda, 625 numerum scilicet quadratum 79 numeri conuersi. Nunc etiam duco gradus 2 differentiæ scilicet latitudinum quadratus. Aggrega numeros in unum, & resultant gradus 68, mi. 289, secunda 625. Huius ergo numeri graduum scilicet 68 est radix quadrata 8, graduum 14 minorum ferè. Minorum uero 289 radix quadrata est 17 mi. secundorum 625. est radix quadrata 25 secunda. Has radices quadratas adde quodlibet suo generi gradus gradibus, & minuta minu. &c. (uti aisolet) & proueniunt gradus 8, minuta 31, secunda 25, quæ multiplico in 15 miliaria communia germanica, & proueniunt miliaria Germanica communia 127 minuta 51, secunda 5, quarum 60, unum miliare conficiunt, Itineraria distantia inter Damascum & Babylonem.

Forma practicæ huius exempli, de integris ad abacum supputatorium ponenda.

	Longitudo.	Latitudo.
Damascus	69 0	33 0
Babylon	79 0	35 0
	10 0 differentia longit.	2 0 Differentia latitudinum.
		1 0 Medietas differentiæ lati.
		34 0 Latitudo media.

Cum 10. gradibus differentia longitudinum, & latitudine media gra. 34 scilicet et intra tabulam proportionum singulorum parallelorum &c.

Gra. Mi. Se.

8 17 25

Æquatoris numerus reductus ex area tabulæ.

64 289 625

Numerus quadratus huius numeri reducti scilicet 8. 17. 25

4

Numerus quadratus differentiæ latitudinum scilicet 2.